

respondit: *Ut quum istud, quidquid est, de quo disputatis, percepero, moriar.* Cato major, Graecas litteras senex dicit: quas quidem sic avide arripuit, quasi diuturnam sitim explere cupiens.

Sophocles ad summam senectutem tragoedias fecit: quod propter studium, quum rem familiarem negligere videretur, a filiis in judicium vocatus est, ut, quemadmodum nostro more male rem gerentibus patribus, bonis interdici solet, sic illum, quasi desipientem, a re familiari removerent judices. Tum senex dicitur eam fabulam, quam in manibus habebat, et proxime scripserat, oedipum Coloneum recitasse judicibus, quaesisseque, num illud carmen hominis desipientis videretur? Quo recitato, sententiis judicum est liberatus.

Diogenem admonebat quidam, ut jam senex quiesceret a laboribus. Cui ille: *Quid?* inquit, *si in stadio currerem, oporteret ne me jam vicinum metae, cursum remittere? an non potius intendere?*

2. Senecam aetate provectum non pudebat ire ad philosophos, ut ipse refert his verbis: Philosophum audio, et quidem quintum jam diem habeo, ex quo in scholam eo, et ab octava disputantem audio. — Quid ergo? idem faciam, quod trossuli et juvenes? Bene mecum agitur, si hoc unum senectutem meam dedecet. — In theatrum senex ibo:—ad philosophum ire erubescam? — Quid stultius, quam quia diu non didiceris, non discere? — Tamdiu discendum est, quamdiu nescias: — et tamdiu discendum est, quemadmodum vivas, quamdiu vivis.

Pudet autem me generis humani.—Mihi Metronactis domum petenti transeundum est praeter theatrum. Illud quidem arctum est: et hoc ingenti studio, quis sit histrio bonus, judicatur. At in illo loco, in quo vir bonus quaeritur,